



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

Capvt VII. Imitatio Christi bajulantis sibi crucem, & cum ea ad montem
Calvariae contendentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

mi, atque gaudium in his, quæ libenter pro eius honore, toleramus.

Igitur quicumque te dolor aut molestia, quæcunque ærumna afflictione exercuerit; offer illa Christo veluti flores suavissimos; & ex omnibus ei sertum confice, quo ille, jucundissimè coronetur. Qui flores si nondum apparuerint in terra tua, est unde incuses sterilitatem amoris tui; ut qui non nisi spinas & tribulos, tot adhuc noxarum in diti germines; patientiæ autem & abnegationis flores nullas proferas, quorum amœnitate ac fragrantia dilectus tuus præsertim capiatur.

CAPVT VII.

Imitatio Christi bajulantis sibi crucem, & cum ea ad montem Calvarie contendens.

§. I.

De ipso mysterio nonnulla.

A Des hinc rursus Regis dolorum amatrix anima, ac mortis oculis ac corde dolore faucio, attende & vide, quàm enormiter tandem increpant cruciatus & opprobria dilecti tui. Ut enim hinc cum Propheta exclamem: *Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Israël?*

Huc igitur indignitatis deventum est! Dei filio, hoc est, ipsi virtuti atque innocentie, per summam injuriam illegamq; sententiam crux decernitur; nec decernitur modò, sed viarum labore, inedia, vigilia fatigato, flagello attrito, & tantum non confecto vulneribus, immisericorditer imponitur, & ferali pompâ agnus innocens, ad supplicij locum, non jam ducitur, sed raptatur. Ergo qui, rele

teste Isaiâ, *appendit tribus digitis molem terra, & absque labore, vel minimo (ut de eo nominatim Apostolus) portat omnia verbo virtutis suæ: is jam (B. Cypriani phrasi) patibuli sui bajulus, Calvariæ collem, dolens ac gemens, & sub onere lapsabundus, insecendit.*

Isai. 40.

Heb. 1.
Serm. de pass.

Bajulans sibi crucem (inquit sacer Evangelista) exiit in eum, qui dicitur Calvaria, locum. Tribus verbis, quanta complexus est! nam & bajulat JESUS, hoc est, onere indigno premitur; & crucem bajulat, hoc est, pondus infame, & consccleratorum supplicium; & sibi bajulat, hoc est, ut in ea demum figatur, perq; cruciatus intolerandos immorietur. Atque horum quidem & similium, quæ in hoc mysterio continentur, consideratio, uberem nostris mentibus piorum conceptuum silvam, & magnam sanctarum affectionum materiam subministrare potest. Veruntamen, quod huc propriè pertinet, ut crucis, quam tunc Christus pertulit acerbitas, quantumq; ei debeamus isto nomine, penitiùs intelligatur; videamus duntaxat hoc loco, an quando suprema Providentia (ut de ea loquitur Liber Sapientiæ, de pœnis Aegypti inflictis agens, & adhibitâ in ijs inferendis moderatione) omnia in mensura, & numero, & pondere constituit: hanc etiam Legem in cruce ipsi DEI Filio constituenda, servandam sibi existimaverit; an verò è contrâ, quò justitiæ suæ plenè satisfaceret, simulq; amoris erga nos sui vim & exuperantiam ostenderet, sine lege & modo, & mensura, atque extra omnem consuetæ providentiæ rationem, humeros illius prægravârit.

Joann. 19.

Sap. 11.

§. 2.

Gravitatis crucis, quam Salvator sibi bajulavit, ponderatio.

Quodnam igitur credimus crucis Christi pondus, quem numerum, quam mensuram fuisse? Atque ut de pondere

O o o o z

dere

dere primùm dicamus: Quàm grave fuerit Redemptio-
ri, quàmque vires omnes humanas excedens, pondus crucis
quâ ille gravatus contendit ad montem Calvariæ; ut de
corporali ligni pondere jam non dicam (quod tantum fuit,
ut exhausto jam ac viribus defecto Domino impositû, eum
per viam aliquoties in lapsum impulerit) id adeò exinde po-
tissimùm debet conijci, quòd non illam tantùm crucem
corpoream atque aspectabilem bajulârit, sed unâ cum illa,
universis mortalium criminibus (quæ veluti pius fideiussor
voluntariè in se susceperat, quæq; innocentes ejus artus ni-
mium quantum degravabant) oppressus veriùs quàm om-
stus inceserit. Ita enim testis est Isaias; posuisse Dominum
in eo iniquitates omnium nostrùm; & ipsum peccata mul-
torum tulisse, & iniquitates eorum portasse. Et S. Petrus

Isai. 53.
x. Pet. c. 2. Apostolus: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo pro
per lignum; seu, veluti legunt SS. Athanasius & Cyrillus A-
lexandrinus, in lignum; prout etiam expressit Syrus inter-
pres, illa Petri verba ita in rem nostram convertens: Qui
bajulavit omnia peccata nostra, eaq; sustulit in corpore suo ad
crucem. Vah! pondus immensum, & humeris tuis, ob-
bone Jesu (audenter dicam) importabile. Nam si unius
lim Hebrææ gentis maleficia, aut ipsa etiam impiorum ho-
minum sacrificia, tam gravia erant ipsi Divinitati, ut pro-
pterea ita queratur, quasi ijs ferendis non esset, dicens per
Isai. 1. 543. Isaiam: *facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et infra:
Præbuisi mihi laborem in iniquitatibus tuis: qui ferre possis
immane pondus, ex immensa mole tot scelerum, quæ hu-
manum genus universum, ubivis gentium, locorum ac tem-
porum in se admisit, conflatum, jamq; totâ vi suâ dorso tuo
miserè incumbens; quando vel eorum sola recogitatio ita
te in horto orantem afflixit, ut velut pondere intolerabili
oppressus, in faciem tuam procideris, & præ animi angus-
tia cruentum toto corpore rorem exsudaveris?**

Quam

Quamobrem S. Augustinus in sermone quodam sic Christum loquentem inducit, & istud peccatori exprobrantem: *Cur me graviore criminum tuorum cruce, quam illa in qua quondam pependeram, onerasti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitatus pendo, quam illa, in quam, tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi.* Serm. 67. de temp.

Deinde, quod ad numerum attinet; crux illa dulcissimi Redemptoris, re ipsa quidem una censetur, at potentia tamen seu facultate, non una est, sed innumerabiles. Neque enim tantum, quod dicebamus, omnia in se complectebatur hominum scelera, quorum unumquodque instar crucis illi esse poterat, ob incredibilem adversus Patrem tam graviter offensum, & adversus eos, qui eum offenderent, amorem, verum etiam ipsas cruces nostras, hoc est, omnium profusum mortalium poenas, dolores, angores, afflictiones: quas quidem in se suscepit, quod eas a nobis depelleret, aut sane nobis compatiendo, sibi communes quodammodo faceret. In quem item sensum, ut a nobis antea indicatum est, nonnulli accipiunt, quod dictum est ab Isaia: *Verè linguas nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit:* nimirum ut quasdam spiritualis crucis ejus particulas; ex quibus omnibus in unum aggregatis & accumulatis, necesse fuerit, multum aggravari dolores ejus; atque ex ijs novam quandam crucem, eamque tum mole tum numero vègrandem conflare ac coalescere.

Isai. 53.
Apud Sanctum ibid.

Præsertim autem si cui addere libeat, in eo sensu quo jam loquimur, ipsas quoque damnatorum poenas velut inculum crucis Christi venisse: non quod ipsa per se damnatorum supplicia in passione sua expertus sit (prout impiè deliravit Calvinus) sed quod ex æterno tot animarum, interitu (quas ipse impensè diligeret, & pro quarum salute moriebatur) atque ex earum acerbissimis supplicijs, quorum gravitatem suo pondere æstimaret, ingentem animo dolo-

dolorem ceperit, easque (uti de poenis hujus vitæ dicebamus) sincero quodam condolentiæ sensu, suas quodammodo fecerit: quanquam, quod ad id attineret, simul se paternæ providentiæ per omnia subijceret, & divinæ Justitiæ leges ac rationes approbarec.

Sanè B. Ambrosius, tristitiæ Christi, sub passionem suam causas exquirens, & locum citatum Isaïæ ex Septuaginta Interpretum versione ita legens: *Qui peccata nostra portat, & pro nobis dolet*; ita loquitur in rem nostram: *Doles ergo Domine, non tua, sed mea vulnera, non tuam mortem, sed meam infirmitatem.* Et infra: *Nec illud distat à vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immenso sacrilegij poenas daturus. Et ideo dixit: Transfer hunc calicem à me: non quia DEI Filius mortem timebat, sed quia necesse erat ei perire volebat.* Et B. Angela dicit, Christum in passionem suam, non solum doluisse de singulorum hominum peccatis, sed etiam de poenis, quas quemque sciebat propterea incursum esse; quas ipse eisdem compatiendo sustinuerit, cum summo & quodammodo infinito dolore. Atque post hæc incidi in tomum 4. operum S. Bernardini, ubi sermone 40. disertè dicitur; quòd *quanta est poena damnatorum, & futuram intelligebat, tantam poenam portavit Christi anima benedicta.* Item, quòd *dolor ille infernalis erat in anima Dñi, & totum illum ferebat in mente ex compassione.* Quò postremâ vocalâ, mollienda est utique præcedentium verborum durities; ut nempe per ea duntaxat velit, quisquis est actor: poenas istas in Christi anima non nisi per quendam compassionis affectum exitisse; atque eum ipsum fuisse tantum, quanta est poena damnatorum, hoc est, quantum ipsa congruenter esse exigeret; & veluti ipsa poenas omnes acerbitate superat, ita proportione, summa esset de illa compassio.

Lib. 10. in
Luc.

Wit. c. 61.

§. 3.

Qua ratione ipsa Crux Christi immensa & interminata fuerit.

TRiplex igitur veluti crucis genus (quæ tamen partibus constarent innumerabilibus) Salvatoris humeris impostum, atque ab eo in Calvariæ collem sublatum, in jam dictis licet agnoscere. Prima est crux corporalis, quam ei imposuere Judæi, instrumentum feralis supplicij, & quam tulit in montem, ut in ea suffigeretur.

Altera est crux peccatorum nostrorum, quam imposuit ei Pater: quæ videlicet peccata nostra in suo corpore Salvator sustulit in crucem, ut ea secum crucifigeret; aut sanè velut ligna holocausti, sibi (ut alteri Isaac) à Patre imposta; quibus in ara crucis inflammatis, ipse ut hostia Deo acceptissima consumeretur. Constat enim ipsa peccata nostra mortis Christi causam, ac proinde crucis holocausto, quasi ligna ac materiam præbuisse.

Postrema est crux languorum nostrorum atque dolorum, quam ei suus imposuit erga nos amor; quosq; in se ipse suscepit, ut eos cruce ac morte sua vel auferret penitus, vel mitigaret, & quasi per sacram suam humanitatem illos transmittens, dulciores nobis efficeret, aut denique suo illo quasi tactu (quod nobis ad salutem proficerent) consecraret ac pretiosos redderet.

Ex quibus denique pronum est effici, quod ad tertium caput ex supra propositis attinet, eruent illam Christi, quæ onustus in montem exijt, extra omnem modum mensuramque fuisse. Quod enim parte superiore cum S. Augustino & alijs, quandam crucis Christi latitudinem, longitudinem aliàsve dimensiones assignavimus; non eò factum est, quasi ea possit certâ aliquâ mensurâ definiti, sed potius ut hinc appareret, eandem supergredi mensuram omnem, seu, secundum

cundum omnem dimensionis modum, esse interminatam. Jam verò quid denique causæ esse dicemus; quòd cætera quidem opera sua, in mensura & numero & pondere, Deus disposuerit, ipsas etiam hominum pœnas certis legibus definiens, easq; cum quadam indulgentia, & velut parsimonia infligens, atque (ut Sapiens loquitur) *cum magna reverentia disponens nos*: at in affligendo Unigenito, hujus sue consuetæ ordinatæq; providentiæ quodammodo oblitus esse videatur? Nisi (quod principio indicabamus) hunc fuisse summi erga nos amoris excessum, qui nec modum nec legem noverit.

Ut in cæteris quidem operibus eminere voluerit supremam illam sapientiam, cujus est ordinem ac modum rationemq; rebus præstituerit: at in opere Redemptionis potiores partes amoris tribuit, cui citra probum (absit tamen dicto invidia) quodammodo licet esse insipienti. Quò spectat, quod S. Franciscus in Cantico supra nobis memorato, disertè ait; eo in opere, amorem Christi abstulisse sapientiam & potentiam, & has quidem ita laudasse, ut solus se proderet amor. In quo proinde *nimiam*

Ephes. 2. erga nos *charitatem DEI* agnoscit Apostolus, prout expressè *1er. 4. heb-* noster Interpres; & S. Bernardus: *Verè nimiam* (inquit) *domada pœ-* *quia & mensuram excedit, modum superat, supereminet, no-* *versis.* Qui rursus alibi *Charitatem sine modo*, seu immodicam eam appellat, & pij quidam Scriptores (ut antea vidimus) quandam hinc (uti loquuntur) *amoris intemperantiam*, non verentur admittere.

Quò vicissim nobis intelligamus, magnam esse impensam necessitatem, DEUM toto cordis affectu diligendi, nosq; ipsos totos ei reddendi; sive æterni Patris respectu, qui tanto amoris ardore filium suum pro nobis omnibus tradiderit; sive filij, qui suppari affectu tam atroces pœnas pro salute nostra in nos susceperit: simulq; nos viles, ignavos, degeneres futuros, nisi tanto exemplo incitati, prom-

ptè in humeros sublatâ cruce nostrâ, amantissimum Duce[m]
ac Redemptorem nostrum affectemur; de quo nunc agen-
dum expressius.

§. 4.

*Quid à nobis præsertim exigat presentis mysterij con-
templatio.*

EX eo exemplo Domini JESU crucem bajulantis, & sub
indigno ejus pondere, extra portam Jerosolymæ ad lo-
cum supplicij contententis, rectè conficit ad Hebræos scri-
bens Apostolus: *Exeamus igitur ad eum extra castra imprope-
rium ejus portantes.* Heb. 13.

Primò quippe loco illud hîc nobis ponendum est, & pro
rei momento altè in pectus demittenddm: Unicuiq; eorum,
qui JESUM sequi; hoc est, salutem consequi voluerit, cru-
cem suam cum Christo esse ferendam: frustrâq; sibi blandi-
ri quenquam, quasi illa Domini exhortatio: *Si quis vult* Matth. 16.
post me venire, tollat crucem suam, &c. ad solos Religiosos Luci. 9.
& severioris disciplinæ Professores pertineat, aut certè non
sit præcipientis, quod absolute necessarium sit, sed ad me-
liora aut perfectiora invitantis. Nam & S. Lucas ea Domini
verba referens: *dicebat autem ad omnes, inquit; & alibi*
Salvator diserte universèq; pronunciat: Qui non accipit cru- Matth. 10.
cem suam, & sequitur me, non est me dignus; hoc est, non
est dignus Christiani nomine, regno meo, Societate meâ.
Nec dubitare debemus (quæ S. Leonis verba sunt) hanc vocem, Serm. 9. de
non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles pertine- Quad.
re. Quia, ut idem ait cum Apostolo: Omnes qui piè volunt 1. Tim. 3.
vivere in Christo JESU, persecutionem patientur. Sicut ergo
totius est corporis piè vivere, ita totius est temporis crucem fer-
re. Necessè quippe est piè viventem, Deòq; placere cupi-
entem, varijs probari exerceriq; tentationibus; & ut desit
externus persecutor, ipsum sibi vim inferre continuam, ut

P P P P

ad

ad malum pronas cupiditates cohibeat, ut sensus à nobis retrahat, ut denique (Psalmistæ phrasi) carnes suas Deo more configat. Unde etiam ad modò relata Apostolica S. Chrysostomus: *Impossibile est, inquit, ut qui malum indixerit, pressuris careat; nefas est pugilem DEI, vana delicijs, non licet epulari lætanti.* Accingat ergo se crucem ferendam, quisquis vult in Christo piè vivere, & per aspera tribulationum in Regnum DEI introire.

Secundo loco id observemus, quòd, quemadmodum Redemptor noster, non utcumque crucem bajulasse scribitur, sed sibi, sive in qua figendus, atque ad extremum immoriturus erat; in quo longè diversa fuit ejus ratio, atque Simonis illius Cyrenæi, qui etiam crucem bajulavit, sed alienam, nec sibi sed Christo figendam: ita quisque nostram crucem suam bajulare debeat, suam, inquam, cui immorturus sit, & in qua agonem virtutis, ac patientiæ certamine consummaturus. Quo nimirum nobis in complectenda cruce atque ferenda, fortis alacritas, & in persequenda, que ad mortem Christi vestigijs, constans perseverantia commendatur.

Qui mediocri virtutis perfectione contenti, evangelicæ crucis pondus, aut mortificationis studium, vel longè primùm suscipiunt, vel cum animosè ferre coeperint, laboris tædio atq; impatientiâ lassescunt, & animi ardorem conatùmq; remittunt; ij quodammodo consistunt ad pedem Calvariæ, neque per signatas divino sanguine sentias ad montis cacumen unquam evadunt, multò minus ipsam crucis Christi fastigium, sive summum apicem Christianæ perfectionis, apprehendunt.

Crucem igitur suam tollere, vitæ perfectæ inebriatio est; at Christum sequi, eòq; quòd ille cum cruce sua progressus est, pervenire; suprema virtutis absolutio, & consummatio est evangelicæ perfectionis. Quod ipsum

tassis indicare voluit S. Hieronymus, cum dixit: *Qui deponit veterem hominem cum operibus suis, & denegat semetipsum, tollit crucem suam, & mundo crucifigitur: cui autem mundus crucifixus est, sequitur Dominum crucifixum.* Quasi dicat: eum, qui suis pravis cupiditatibus carnisq; desiderijs renunciat, crucem suam tollere: qui verò insuper, perfecto studio divinæ imitationis, dura & aspera, & carni suæ inimica consecratur, hunc jam sequi Dominum crucifixum. Quod clariùs explicat in sequentibus, dicens, citatis illis Matthæi verbis (*Si quis vult post me venire, &c.*) provocatos à Christo discipulos, ut abnegarent se, & morientium animo sequerentur Magistrum. Quod enim dicit, *morientium animo*; vel ad id retulit quod dicebamus, nempe crucem nobis ita ferendam, ut in ea nobis moriendum denique existimemus; vel certè studium perfectæ mortificationis insinuat, cujus duæ istæ quasi partes sint, abstinere scilicet, & sustinere; abstinere placitis, & sustinere contraria: ex quibus tanquam duobus lignis, oporteat uniuscujusque crucem, qui Christum sequi perfectè voluerit, construi atque constitui. Placet etiam quod observat hoc loco Chrysostomus; cum ad crucem tollendam hortatus esset, illico subjunxisse Christum, & *sequatur me*; ut intelligeremus, crucis aut passionis tolerantiam non sufficere, nisi insuper ex Christi amore atque imitatione patiamur: alioqui enim sterilem fore laborem nostrum, & infructuosam quorumvis malorum perpeffionem. Ut scitè Joannes Thaulerus, eos Religiosos, qui sine spiritu, & aridâ duntaxat consuetudine, aut etiam inviti, jugum religionis supportant, *Martyres infructuosos* appellârit: quod nimirum eos necesse sit, ex suæ professionis ratione, & longo tanquam martyrio confici & extabescere; & tamen tot molestiarum fructum nullum, aut mercedem referant; quia crucem portant, sed non post Christum, hoc est, non iisdem cum Christo vesti-

In c. 16.
Matt.

Hom. 56. in
Matt.

Insit. c. 11.

gijs, non eâ formâ, sensu, mente, non eo spiritu, quo Christus.

Ultimo loco adjungimus; ad crucem nostram, sive generosè tollendam, sive constanter perferendam, magno incitamento esse debere: quòd eam non tantùm portemus post JESUM, idque in magno comitatu cujusvis ætatis, sexûs, ac conditionis hominum, suam humeris crucem precundè hilaritèrque portantium, atque Christum (quod ait noster Cornelius) per crucem ad mortem, & per mortem ad beatam immortalitatem, sequentium: verum etiã hanc ipsam crucem nostram conjunctim portemus cum JESU. Et ita quidem, ut (quemadmodum in Simone Cyrenensi subinde exhibent nostri pictores) non nisi extremum ejus tangere, aut eam minimâ sui parte supportare videamur, reliquo illius pondere, & ipsâ quasi totâ cruce, dominis humeris incumbente. Nam, juxta quòd antea diximus, etiã hoc sensu: *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Eòsque hoc pacto nobis leviores ac tolerabiliores effecit: simul gratiæ suæ tanquam oleo jugum nostrum leniens, & quâdam amoris dulcedine, & efficaci saporis intimi suavitate crucis condiens, ut propere hunc in modum solet JESUM precari Thomas à Kempis:

Orat. 1. de pass.

Sapiat mihi beata crux tua, & taliter sapiat, ut meam liberet feram: Simul denique potenti exemplo, & magnis promissis nos alliciens, & quasi nos respectans identidem, & velut digito sursum intento, cœlestes coronas ostentans; ut non fatigemur animis nostris deficientes; sed per patientiam

Conc. 2. in ps. 36.

curramus ad propositum nobis certamen. Unde S. Augustinus: *Per dura ambulavit, sed magna promisit. Sequere. Nihil tantum attendere quâ iturus es, sed & quòd iturus es. Tolerabilia dura temporalia, sed ad læticiam pervenies sempiternam.* Hac Augustinus.